ORATORIVM
DE
IOSEPHO
Vendito à Fratribus

AVTHORE IN MODVLIS

D. IOANNE BAPTISTA

BLANCHINO ROMANO

PHONASCO

IN BASILICA LATERANENSI.

ROMAE, Ex Typographia Camerali. 1686.

SVPERIORVM PERMISSV.

132

Bopp.

INTERLOCVTORES.

IACOB,
RACHEL Mater,
IOSEPH,
RVBEN,
FRATRES,
TESTVS.

133

PARS PRIMA.

Teſt. VOcans Iacob filium ſuum Ioſeph, vade, inquit, ad fratres tuos paſcentes Oues in Sichimis, & ſi proſpera cuncta ſint, renuncia mihi &c.

Aria à 2. O' miſerabilis,
O' lacrymabilis,
Reſume velocem,
Tam rigidam vocem.
Quæ mox cum nato diſſipabit te.
Tu non ſapis,
Tù non capis,
Quæ ruina,
Stat vicina,
Deſtructura,
Oppreſſura,
Et te pariter, & filium.
O' miſerabilis,
O' lacrymabilis,
Reſume velocem,
Tam rigidam vocem,
Quæ mox cum nato diſſipabit te.

Ioſeph. Quando, Pater, mihi iubes,
Motu concitor iucundo,
Mundi feræ, Cæli nubes,
Non me frænant ab eundo.
Ibo velociter,
Curram alacriter,
Et nulla tarditas
Erit in me.
Seruiendo tàm dulci Genitori,
Cara pericla ſunt, & vita mori.

Teſt. Cùm ergo vidiſſent eum venientem Fratres, cogitantes occidere illum, ſic loquebantur.

Fratr. Somniator tu veniſti,
Stella triſti,
Et luminibus ſæueris.
Morieris.

Ioſeph. Innocens moriar à Fratribus Frater;
Frater plenus amore

Feruens ardore,
Et affectibus ſinceris ?

Fratres Somniator, morieris.

Ioſeph. Si lex debita ſanguini vos non mouet, ò moueant ſaltem anni tenclluli, ætas floridula, quæ inuenire ſolet pietatem in Leonibus, in Tygribus, & in Vrſis, & Pantheris.

Fratres Somniator, morieris.

Vnus de Fratr. Tù confidis, vt Frates tui obſequioſi, & humiles obediant tibi, tù præſumis, vt noſtri Parentes, procidentes ingenua adorent te,

Aſtra quæ cogitas
Ibunt in Tenebras,
2 Cadent in feretrum
1 Sceptra quæ ſomnias.
Ille faſtus
Tantum vaſtus,
Iam ceſſabit, & non eris.

Fratr. Somniator, morieris.

Ioſeph. Pater mi, quò ſum deductus!
Intra ſinum duræ ſortis,
Intra fauces diræ mortis,
Et in prece non eſt fructus
Pater mi, quò ſum deductus!
2. Contra me non hoſtis reus,
Sed inſurgit ſanguis meus,
Implacatus, efferatus,
Et mucronibus inſtructus!
Pater mi, quo ſum deductus.
Moriamur corde prompto,
Obediſſe ſit tropheum
In hoc iubilet cor meum
Conſolatio ſit luctus
Pater mi, quò ſum deductus!

Ioſeph. Ecce pectus transfodite, ecce caput abſcindite

Fratr. Nos parati —— *Ioſeph.* Ego lætus.
Fratr. Somniator —— *Ioſeph.* Non refuto.
Fratr. Adhuc perſtas? —— *Ioſeph.* Me non muto
Fratr. Morieris —— *Ioſeph.* Sed quietus
Fratr. Nos parati —— *Ioſeph.* Ego lætus.
vnus de Fr. Inſtat plaga

Fer-

alter de Fr. Ferrum pendet.

à 2. Et hic iubilat, & ludit?

Fratres Qui Somniator eſt, mortem deludit.

Ioſeph. Qui verax ſemper eſt, mortem deludit.

Teſt. Audiens autẽ Ruben vnus de Fratribus, quod cogitarent occidere illũ, nitebatur liberare eũ, & ait.

Ruben
In hoc periculo noſtro Fratre
Recognoſcite Genitorem,
Et perpendite quem dolorem
Cumulabitis in Patre.
Enſis qui, ſtrauerit
Caput iſtius,
Pectus illius
Tranſuerberauerit;
Et dupliciter ingrati,
Vulnerabitis cor Patris, & Nati.

Fratres
Quid ad te?
Tù laboras,
Et exoras
Stulto voto, & vana ſpe
Quid ad te? quid ad te.

Ioſeph. O' Germane dulciſſime, ò Ruben amantiſſime, dimitte illos, vt ſatient ferociam ſuam, & innocentiæ meæ, coronam ne rapias.

Dulce perire, languere ſuaue
Si pectus innocens,
Anima candida,
Cor in ſe non habet graue.
Dulce perire, languere ſuaue.
Cœli lætantes,
Stellæ ridentes,
Ad palmam vocantes
Ad regnum cientes
Me non ſinunt expauere.
Dulce perire, ſuaue languere.

Teſt. Permoti igitur miſericordia, vendiderunt eum Iſmaelitis, qui duxerunt in Ægyptum, & miſerunt ad Patrem, & Matrem eius, tunicam illius intinctam ſanguine.

Pater, & Mater à 2.
Quæ peſſima fera
Te fili vorauit,

Non

Non niſi megera
Tam dira patrauit.
Quæ peſſima fera
Te fili vorauit?
Innocentiſſime,
Amabiliſſime
Ah ſine te ſpiramus
Si non redibis tù, vitam negamus.

Pater Aperite Voragines,
Mater Monſtrate præcipitia,
Pater Amo diſrumpi,
Mater Volo diſſolui,
Pater Feretrum quæro,
Mater Peto Sepulcrum
à 2. Innocentiſſime;
Amabiliſſime
Ah, ſine te ſpiramus;
Si non redibis tù, vitam negamus.

Omnes Virtutem perdere
Tentat iniquus,
Sed in vanum conatur,
Semper caſtitas adoratur,
Semper puritas coronatur.
Iuſtum in terris opprimit offenſor,
Sed Deus Cœlo, ſubleuat defenſor.

PARS SECVNDA.

Teſt. COnſtituit Pharao Ioſeph Dominum Domus ſuæ, & Principem in Terra Ægypti. Inualeſcente autem famæ venerunt fratres eius, vt quærerent ab eo eſcam ſibi, cum igitur eos cognouiſſet, nec ab ijs cognitus eſſet, finxit acerbè conqueri cum illis.

Ioſeph. Agnoſco vos, agnoſco vos;
Explorando, quærendo, ſcrutando
Ordiri ruinas
Veniſtis in nos;
Agnoſco vos, Agnoſco vos;
Pro dono frumenti
Reuincti, retenti

Plo-

Plorabitis mox.
Agnoſco vos, Agnoſco vos

Fratres. Serui tui, dolo caremus
Et te venimus præcari,
Vt nos vellis conſolari,
Qui famelici languemus
Serui tui, dolo caremus.

Ioſeph. Carceres, Compedes
Parati ſunt.
Vt per dolores
Confiteamini
Quales errores
Tacetis nunc.
Carceres, Compedes
Parati ſunt.

Fratres. O' rem inauditam,
O' miſeram ſortem,
Dum quærimus vitam,
Inuenimus mortem.

Ioſeph. Adeſte milites,
Et gentem perfidam
Prendite, ſtringite, cuſtodite

Fratres. Peccaſti, care Genitor peccaſti
Cur non magis coram te,
Sine cibo, & ſine ſpe,
Nos occumbere mandaſti?
Peccaſti, care Genitor, Peccaſti?

vnus de fr. Beniamin dulcis,
Beniamin gratus,
Qui Patris ad latus
Immobilis ſtas;
Si peris ieiunus,
O' nobile funus,
Occaſus beatus?
Beniamin dulcis,
Beniamin gratus?

Ioſeph. Ergo Patrem habetis? Fratremque præterea.

Fratres. Ille paruulus remanſit
Vt delicium Amoris
Iam cadentis Genitoris.

Ioſeph. Vno igitur ex vobis hic retento, eant cœteri, & puerum adducant.

Pecca-

Peccatum occultum,
Non manet inultum,
Sed dum impius non credit,
Quod in tenebris eſt, in lucem redit.

vnus de fr. Ecce Puerum, quem iuſſiſti,
Cito duximus ad te;
Conſternatus fronte triſti
Iram tuam timet in ſe.
A Parente ingemente
Cor, & animam auulſiſti,
Ecce Puerum, quem iuſſiſti.

Ioſeph. Spiritus iubilat, pectus exultat,
Vita præ gaudio
Languet in me.

Fratres. Vnde tanta lætitia? Vnde triumphus?

Ioſeph. Ergo me non agnoſcitis? Ioſeph fratrem veſtrum non aſpicitis?

Fratres. O' ſtupor, ò amor, ò pauor, ò tremor.

Ioſeph. Nolite pauere; volente Deo venditus ſum Ægyptijs, vt ſubleuarem Gentem noſtram, & facerem vobiſcum miſericordiam.

Fratres. In tuis manibus.
vel vnus, vel duo. Eſt noſtra ſors
In tuis legibus
Vita, & mors.
Habes præſentes
Fratres nocentes,
Sed confidentes
Pietati tuæ.

Ioſeph. Viuite, plaudite corde ridenti.
Mecum ſedebitis,
Mecum gaudebitis
Fratres, & Genitor
Semper contenti,
Viuite, plaudite, corde ridenti.

Omnes. O' bonitas immortalis
Promittit aduerſa,
Sed ſorte diuerſa,
Nos ſeruat à malis
O' bonitas &c.
Mentes afflictæ ſperent
Dum lacrymantur hìc, gloriam merent &c.

FINIS.